DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1187

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVII. IANVARII.

M. FRANCISCO SORAND, Doctore Medico, Præside.

An ex Chylo ſanguis in Corde generetur?

QVI hominem intuetur, ipſum ceu mundum nuſquam non ſpectator novus adire debet, quòd, cùm illius quantum patet natura nondum plenè innotuerit, haud dubie ſuppetat in dies occaſio perveſtigandi multa, quæ vel novitate moveant, vel magnitudine debeant ad exquirendas cauſas excitare. Sic qui tot ſæculis ignoti latuerant Chyliferi Canales, noſtrâ ætate feliciter emerſerunt, quos quaſi jam alia naturæ ratio, vel iis in lucem erumpentibus modò, cœca ignorantiæ caligo foret diſcuſſa, recentiorum invicem æmuli plures ſe primùm deprehendiſſe geſtiunt. Licet verò ipſâ inuſitatæ rei conditione, vel obſoleti pridem erroris refricandi deſiderio non paucis illi ductus nimiò plus arriſerint, attamen tanto molimine nihil inauditi in Medicinam irrepſiſſe ſcias: ſcilicet quod præter conſuetudinem dictum jam antiquiſſimum eſt, atque licet novitas, ſi ſpem affert, non ſit repudianda, vetuſtas tamen ſuo loco conſervanda eſt, maximè cùm nobiliorum in homine partium ſtabilis uſus adeò permanſurus eſt, ut huic feliciùs ampliando dumtaxat recens ex perveteri causâ lumen acceſſiſſe, atque interim inventorum à majoribus nec ſcientia, nec diſpoſitio nova videatur, ſed ut mos fuit, natura quæ ſemper eadem, agat uniuſmodi & operetur.

IN id plures unius animæ imperio, ex quibus agit, facultates ſubjectæ. Harum ordine prior naturalis audit. Illa quippe licet ex æquo omnium ſtudioſa, nihilominus tamen ab ipſo conceptu creata, ut primùm conformat, ſic etiam nutricem promovet coctricis ope, quæ privata eſt in ſingulis partibus, vel publica duplex, alia ventriculi quæ chylum excluſo animali, altera hepatis propria, quæ ex ipſo ſanguinem adornat. Vbi enim aſſimiles notas candorem primamque fibrarum ideam ὑμενωδέστερος venter in chylum induxit, ut ex eo τρέφεσθαι καλῶς, is ipſe prolapſus infra tum lacteis, tum præſertim fœtis albeſcentibuſque non paucis amico cremore meſaraicis ad hepar convenit, ut quammox idem exutâ propriâ ſorte, alienis verò ejus quod agit dotibus, craſſitie nimirum atque rubore ſuffectis, in ſanguinem vel εἰς ὁμοίαν ἑαυτῷ ἰδέαν mutetur. Quod ne non fieret, diceres interim chylum adinſtar muſti in hepate ζυμοῦσθαι, adeo ut ejuſdem caloris virtute ſecretis ſubſtantiis, inutiles quidem ſua quæque conceptacula repetant, utilis autem & nitens alia ex nutritione viſceris ſuperſtes, ſuſdeque amandetur per cavam, quæ hepatis ἔκγονος, non autem cordis è ſinu dextro videri debet. Hic enim ἀφώνῳ piſci deeſt, cùm tamen perfecto animanti venas natura nuſquam noverca delinearit.

QVIBVS vaſis conferendi hinc & inde deferendi vices à primo ortu conceſſæ ſunt, ea, ſi magnitudo ſpectetur, ſibi multùm proportione reddunt, aut ſanè ſi quod minus celebrandum foret, tale quidem quod elaborato priùs humori devehendo navaret operam. Hâc arte quæ materia ſanguis futura eſt, ea tam capaci alveo fluit, qui quantâ ſit opus, univerſæ ſufficiat. Sic πελεχαίαν ex jactis in hepar numeroſis radicibus inſigni videas aſſurgere caudice, quo cavæ amplitudinem æmulatur. Sic, inquam, aortæ majori quæ conſcendit altera cava non inferior: Sic carotidum inde jugulariumque bini tubuli, hincque ſuâ frequentiâ non impares nervi: Sic tum præparando ſemini vaſa, tum eidem confecto jam deferendo dicati canales in mare atque femina: Sic emulgentes venæ arteriis communi officij ratione junctæ, atque ureteres, cholidochique demum meatus magnitudinis invicem aptâ proportione ſibi reſpondent. At quantumvis æqua vaſorum amplitudo viſa ſit, afferentia quæque humore nuſquam non gravida, in locum quò deportant, univerſim concurrere par eſt. Iam enim hoc modo in eamdem partem optata liquoris totius derivatio ſuccedit, quam jugiter in officinam ſpirituum eò magis fieri conducit, quò vegetiori calore præſtat, ocyùſque dicto movetur & movet.

NVNQVID novitatem faciles nimis obſervant & colunt, qui per canales thoracicos humorem in cor elici mordicùs tenent, ut inibi ſanguis abſolutè generetur? Impares profectò non tantùm exiguitate ſuâ ductus illi ſunt, quos apud hominem binos inveniſſe nondum bene licuit, vel eorum altero interdum obliterato, vel ambobus, ut ferè fit, in unum nec eapropter majorem à ſiniſtrâ coëuntibus. Ex venis lacteis quæ per meſenterium diſperguntur, quamplures callicreas, nonnullæ quoſdam Portæ ramos, hâcque viâ vel per ſe jecur; cæteras autem famoſum receptaculum occupare ex autopſiâ perdiſces. At ipſis quæ ex eodem conceptaculo ſecundum vertebras progrediuntur ſurſum, vaſis cave ne putes omnem quem habent lacteum ſuccum in ſubclavias aut axillares, exhincque per cavam in dextrum cordis ſpecum convehi, quippe quæ perreptando illius quantuluſcunque eſt, non exiguam partem datis hinc & inde paucis, pluſculis autem in thymum, quibuſdam ſubtus ſubclavias incerto tramite ſurculis, quidni & ex iiſdem vel axillaribus per jugulares qua patet ad cerebrum iter, aliò derivent. Hac ratione precor ecquis fugacem chylum locique impatientem miretur, qui in bene paſtis etiam animantibus vix poſt quartam horam commoratur, & hæret maximo necdum ſtabilitæ apud cor ſanguinificationis argumento.

SCOPVM attinges, ſi cùm otietur natura nuſquam, ſuperſtitem illius è ſubclaviis chyli portionem, ubi cavam & cordis ſinum ſubierit, ſanguini primùm permiſceri velis, unde legitimâ poſt actâ temporis morulâ, minimè per arterioſam & pulmones, aptiùs verò per ſeptum, per quod jampridem notæ viæ, ſanguini non inviæ, in lævam cordis cavitatem uterque commeet, ut ibidem aſcito rurſus in ſocietatem operis, aëre puriori ex omnibus adamuſſim invicemque ſubactis, vivifici caloris ὄχημα ſpiritus excudatur, brevi per aortam eliminandus. An non inſtituto naturæ congruit inſtillantis chyli levis quidem, attamen viribus analoga portio, quæ tum humidiori, velut aqueus capſulæ liquor, cordiſque circumlitus adeps, ab eo ariditatem longiùs arcere, tum verò frigidiuſculâ temperie collectis in fonte copiis calorem augere valet? Imò ut primùm perfecta chyloſis, in eum finem deſtinatus à natura chylus videretur, ut ſervatâ non modò vaſorum communione ſocietatem inirent cor & ventriculus, ſed etiam acceptis ille dum fit in parte nervoſâ fibrarum rudimentis, ceu apprehenſi ponduſculo lapilli apes exortâ procellâ, ſic ſui craſſiuſculâ parte quaſi ſacomate quodam evanidum alioqui ſuâ indole ſpiritum libraret. Nec aliunde ſanè quàm à fibris omnium facillimè concreſcit arteriarum ſanguis. Atque quò è craſſiori, magis fœculento, terreſtrique vino quis educitur ſpiritus, eò laudabilior; nec uſquam ſagacius ingenium quàm melancholicorum, è quorum bile atrâ animalis ſplendor in cerebro elicitus melior eſt.

Ergo ex Chylo ſanguis in Corde non generatur.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus le Meneſtrel.	*M. Iacobus Rainſſant.*	*M. Germanus Preaux.*
M. Carolus Briſſet.	*M. Iacobus Boujonier.*	*M. Franciſcus Blondel.*
M. Nicolaus Bonvarlet.	*M. Ioannes Grout.*	*M. Iacobus Mentel, Pharmaciæ Profeſſor.*



Proponebat Lutetiæ GABRIEL DACQVET, Lemovicenſis, A. R. S. H. M. DC. LXVII.

Sub his verbis Errata prodiit hæc thesis, sic jubente Decano, sub quibus minus apte conscripta nemini non videri potest